

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLXXXVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A. 1575.

P A R S Q U A R T A.

517

curastis. Qui ista veritatis perspicuitate erudiri non vult, eum oportet omnino traditum esse in sensum reprobum. Dominus concedat nobis tranquillitatem cum sacro sancta veritatis restitutione. Haec ad t. Excell. data occasione inter occupationes multas raptim effudi. Bene in Christo vale, cum toto reverendo ministerio vestro, cui etiam reverenter salutem adscribo. Datum Islebii, Dominica Jubilate, Anno 1575.

T. Excell. observans

Hier. Mencelius.

C L X X X V I .

S. Literas tuas, quæ postridie Palmarum apud te exierunt, decimo sexto calendarum Maji, Tubingæ demum accepi. His perlectis cum juxta to Reverendum Parentem T. ob interceptas alicuius momenti literas, quas apud nos suppressas esse opinaris, meam expetere operam, intelligerem, poshabitis aliis, diligenter apud omnes & singulos, quibus cum illius gentis hominibus aliquid commercii intercedere existimabam, inquisivi, diversoria publica perlustravi, Janitores & portarum custodes, compellavi, sed res ita cecidit, ut quamvis totus in id incubuerim, depræhendere tamen nihil potuerim. Accepi ipse nuper admodum, paucorum dierum intervallo, epistolas duas, à quodam meo olim Collega, qui nunc in ipsa Ducatus Styriæ Metropoli Evangelion docet, ad me prescriptas; Sed in illis nec fratri nec literarum ad nos misfarum, nullam ne verbulo quidem mentionem fecit. Quod me movet, ut tabellionuni, quorum magna est levitas, perfidia potius interversas esse credam, quam quod apud nos alicubi latitare existimem. Idque eo magis, quod tu ipse, cui id planè persuasum esse video, nec loci qualitatem nec personæ habatum, ubi vel apud quem sint depositæ, nulla vel minima notatione delineare possis. Idem sane utrique nostrum, ei quem modo nominavisti, Collegæ meo & mihi accidit, cum ille Veteratoris cujusdam malitia, pecunia, cuius summa non erat exigua, jaucturam fecerit: Ego vero Chartarum seu librorum, quorum ibi non ea, quæ apud nos, est copia, discrimen aliquanto levius adierim. Ad me quod attinet, ita, mihi crede, sum affectus, ut Reverendo Parenti T. cui ob eandorem, sinceritatem & purioris doctrinæ propagandæ, indefessum studium, plurimum tribuo, & tibi, quem ob eruditionem & ingenii suavitatem, colo & diligo, me & omnia mea pro viribus deferam: Idque oblata quavis occasione, reipsa demonstrare paratus. De Scholæ vestræ dissidio nihil mihi constat, sed nec adolescentem, qui me, ut ait, plenius instrueret, videre contigit. In-

Ttt 3

terim

terim tamen hæc distractio plurimum mihi dolet, cum ob impotentem adversariorum, imprimis Cinglianorum, rabiem, constanti animorum consensu opus esse videam. DEUS nostri misereatur, & inflatis Ecclesiæ vulneribus per & propter filium mediatorem, clementer medeatur. Reverendis Viris, Parenti T. & Domino Flinnero, Veterano primarii templi Pastori, salutem meo nomine, quam plurimam, dico. Rogo si per occupationes licebit, de rerum V. statu, & si quæ nova ex Galliis & Belgico circumferentur, rescribas. Esslinge 5. Calend. Maji, anno 1575.

Christophorus Hermannus, D.

CLXXXVII.

Salutem in Christo Jesu. Reverende ♂ Clarissime Vir, Domine & frater honorande.

Excusationem diuturnioris silentii mei, quod acceperis, tibi gratias ago, & mihi vehementer gratulor. Etsi enim animus, (quod Dominus ^{meum} non nō vit) nunquam erga te mutatus est, intelligo tamen, te non sine causa tecum expostulare potuisse. Sed memor illius: summum jus summa injuria, recte judicasti, cum Amico SYNCERO & CANDIDO, non pugnandum, qui de suo animo testificatur. Quod ad statum Ecclesiæ & Scholæ attinet, de quo scribis, DEO æterno patri D. nostri Jesu Christi immortales gratias ago, qui Ecclesiam suam benigne & clementer respicit. Non enim Zwinglianorum candori hoc tribuo, quod erga te & tuos paulo benigniores esse videntur, sed Zwingiano Spiritui, qui malitiaæ suæ causæ diffusus, eo, quo fortuna, inclinat. Male cecidit Cracovio, Peucero & Sociis horum nebulonum apud Electorem Saxoniam. Eundem eventum enim ipsi metuunt in sua causa, animum mutasse videntur. Sed scias, hæc omnia secundum Zwingianum Spiritum mendacissimum intelligenda & interpretanda esse. Nihil etiam illis fidas, quia sunt ex mendaciis compositi. Idem faciunt illorum socii in aliis quoque locis, qui tamdiu silere possunt, donec sese melior aura offeras, qua suam impietatem prodant. De Tygurinis & meo Bullingerio quod scripsi, perficiam Domino volente, ut omnes pii intelligent mihi DEI, non meum honorem curæ esse. Quod enim ad meam personam attinet, bin ich ein gescholner vernichter Mann / daß schier kein Apologia mehr helfen wird. Verhoff aber / fromme Herzen und Biderleuth kennen mich / von den Schelmen wiß ich nicht gelobt / sondern gescholten seyn / das halt ich für ein Ehr. Ex eorum numero